

SECTIO XXX.

DE

SANGVIFICATIONE.

§. 444.

Sanguificationis vocem eo sensu hic sumi
vt chyli cum sanguine assimilationem, et
succedaneae iacturae quam *hic* patitur
aeque succedaneam *istius* ope restitutio-
nem denotet, vix monitu opus est.

§. 445.

In eo enim vertitur omnium corporis
nostri humorum diuisio in ternas classes
(§. 4. §.) *crudorum, sanguineorum et secreto-
rum*; vt media earum ipsius principis vi-
talis laticis torrentem complectatur, cui
perpetuo tramite numerosi humores secreti
detrahuntur, aequali vero perpetuo affluxu
ab altera parte per innumeros absorbentis
systematis riuulos tum chylus, tum per
lymphatica resorbtus humor, accedit.

§. 446.

§. 446.

Cum vero sanguis adeo singularis plane et in suo genere vnicus humor sit, cui nullus in vniuersa natura aequalis extet, per se facile intelligitur variis opus esse adminiculis et mediis, quorum ope heterogenei isti humores aduentitii, sanguini ex thoracico ductu accedentes, cum eo subigantur ipsique assimilentur.

§. 447.

Et primo quidem loco huc facere videntur anfractus illi, quos saepius iam diximus, quibus tum lacteae tum lymphaticae venae, maxime in meseraicis reliquisque conglobatis glandulis vltro citroque circumferuntur, simulque magis magisque animali et inquilino quasi contagio inficiuntur.

§. 448.

Porro autem considerare oportet, magnam istius lymphae partem, quae cum intestinali chylo in thoracico ductu mixta subcla-

subclauiam sinistram intrat, et intimis quasi viscerum aliarumque corporis partium mollium penetralibus haustam, ex ipso sanguine antea secretam, ideoque totam quantam animali iam natura imbutam esse, et facillime procul dubio sanguinis massae, ad quam tantum redit, iterum admixtam fore.

§. 449.

Tum vero et accedit, de quo supra iam monitum est, lentus et quasi stillatius chyli in sanguinem transitus, qui non nisi guttatim per vltimam thoracici ductus valvulam in subclauiam delabitur, ita vt exiguae hae portiunculae eo intimius sanguini admisceri possint.

§. 450.

Sed et ipsa cordis interior structura eo conferre videtur, vt sanguis nouo chylo recenter grauidus miris istis musculis papillaribus, quibus cordis ventriculi scatent intime conquassetur et condepsatur.

§. 451.

Magnas etiam pulmonum sanguinem nouo chylo donatum excipientium, et respirationis negotii in assimilatione chyli partes esse facile patebit cogitanti tum stupendam istorum viscerum fabricam vasculosam (§. 140.), tum eorundem perpetuum et aequabilem alternum, dum animam ducimus, motum.

§. 452.

Reliquum denique sanguificationis a maiore per vniuersum corpus sanguinis circulo, et quae eundem iuuant viribus, perficitur, musculari maxime motu &c.

§. 453.

Quanquam autem tantis et tam multifariis adminiculis chyli cum sanguine connubio prouisum sit, chylo etiam ipsi quoad partes suas constitutiuas aliqua cum sanguine intercedere videatur, similitudo: plurimum tamen horarum impendio opus esse vulgo asseritur, antequam chylus lacteo

cteo suo colore exutus, purpureo cui destitutus est fluente, intime assimilatus sit; cui asserto probando praeter alia argumenta illo etiam ex pathologia desumpto uti solent, quod toties, pluribus post digestionem horis ex vena secta integrum effluxisse chylum observatum fuerit: quale quidem phaenomenon mihi ipsi aliquando oculis usurpare licuit, ibi vero simul nimis luculenter apparuit sanguinem eum inflammatoria ut vulgo audit dispositione, chyli assimilationi inimica laborare, ita ut exinde ad statum sanum circa quem omnis physiologia versatur, vix ullam deduci posse consequentiam, persuasum habeam.